

semel illic confederunt, non prius domum regrediuntur, quam hospitem aliquis pecuniam mulieri in sinum rejecerit, & cum eadem seorsum abducta rem habuerit. Coas. Voff. de idol. p. 413. & Corn. a Lapide ad cap. 6. Baruchi. Hunc igitur ritum a gentibus institutum & adhibitum Judæi imitati intra templum admiserunt.

§. V. Nolo asseruisse, quasi universam domum occupaverint hi perditissimi mortaliū (r); sed eam templi partem insedisse dico, quæ אִשְׁרָא Hebr. dicta fuit; quod omnis generis homines, mundi, immundi, gentiles, excommunicati, lugentes huc potuerint confluere. Hæc enim templi pars, communiter atrium gentium, suam longitudinem ad 500. usque cubitos extendebat (t) & a reliquis atriis, quæ tria adhuc erant, sacerdotum, Israelis & Regum, per ἀσπίδα χισµα seu antemurale (u) sejungebatur. Hoc ut latissimum amplissimumque elegerant profligati pudoris homines, ne alter alteri impedimento esset. Eo autem usque processum fuit vanissima hac superstitione & iniquitate, ut latis legibus ad ista committenda vitia invitarentur. *Lege (x) sancitum fuit apud Corinthios, sicut in libro de Pindaro, scriptum reliquit Chamelaon Heracleotes, ut, quando civitas magnis de Rebus Veneri supplicat, quam plurima amica ad supplicationem capiantur, Deaque postea ipsæ nuncupentur.*

§. VI. Hæ ergo foeminae non prius dimittendæ, nisi defloratæ essent, ut haberent quod interea agerent, texebant suis manibus & artificiose satis כַּתִּיב, quod R. Sal. Ben Melech & Kimchius per יריעות exponunt; quorum ultimus cum citatis ex illo verbis eadem habet & sequentia adjungit. אֲפֶשֶׁר שֶׁהָיוּ אוֹתָן יריעות

(r) Emman. Saa annotat. in 2. Reg. XXIII. v. 7.

(s) Otton. Lex. Philolog. Rabbin. p. 55. 60.

(t) Sic ex tr. Middoth. habet Lichtfoot. Chorogr. c. 28.

(u) Caspar Sanctius in comm. in Lib. Sam. & Reg. p. 1480.

(x) Athen. L. 13. c. 9.